



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Honorandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

P.

TITULUS I.

PANIS.

UT comedat panem. Ex. 2. 20. Panis Hebraeis per Synecdochen quemvis cibum significat. Cornelius hic.

Auferet omne robur panis. II. 3. 1. Hebraei robur misan, id est, fulcrum, baculum, scipionem, vocant panem, cibum, & omne, quod hominem in vita sustentat. Hinc panis vocatur *virga*, vel *baculus*, Levit. 26. 26. Ezech. 4. 16., 5. 16., 14. 13. Cornelius hic.

Panem nostrum quotidianum. Luc. 11. 3. Hoc de duplici pane exponitur. 1. de pane Sacramentali, id est, de corpore, & Sanguine Christi, sicut ait Salvator. Joan. 6. 41. ego sum panis vivus. 2. de pane Spirituali, scilicet de

habitus, actibusque virtutum; de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore de pane poenitentiae. Pl. 79. 6. *cibabis nos pane lacrymarum*. His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus; ne spiritus noster debilitetur, vitijsque succumbat. Dion. Carth. hic.

Panes manu S. Bernardi benedicti ad septem, novem, undecim, annos durarunt; nec colore, nec sapore, immutato. Ex vita ejusdem l. 4. c. 4.

S. Euthymius M. Abb. effecit, ut ex paucissimis plurimi panes fierent, quibus 400. viri refecti sunt. Nicephorus Callistus l. 14. c. 52. Bolland. 20. Jan.

TITULUS II.

PARENTES.

§. I.

Honorandi.

Qui timet Dominum, honorat parentes; & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. Eccl. 3. 8. Palacius: quasi dijs serviet his: in ijs enim Deus representatur, Deique dominum resplendet. Cornelius hic.

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus &c. Joan. 19. 25. Dominus in cruce pendens Matrem habuit à dextris, quam Joanni commendavit. Ita quicumque ascendit crucem praelationis, vel Religionis; parentes debet habere à dextris: ut eos scilicet diligat ad bona aeterna; & gratiae Dei committat. Sed nota: quod Dominus, licet compateretur Matri, non tamen voluit de Cruce descendere: ita nos, qui ferimus Crucem Domini, propter parentes nostros non debemus ad carnalia declinare. Hugo Card. in Gen. 1. 19. Crucifixus Matrem suam Joanni commendat. Nota, quæ mox addit Evangelista v. 28. *postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt - & inclinatus capite tradidit spiritum*. Luc. 23. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Joannes ait, ubi Matrem commendavit Joanni, tunc omnia consummasset, & inclinatus capite tradidisse spiritum. v. 30. quia piam Matris curam ostendit in Cruce, omnia consummata sunt; & nihil ei superest, nisi in Patris manus spiritum tradere. Nam ita Deo grata est erga parentes pietas; ut illam exercens omnia consummasset videatur; & possit sperare

Polyanth, Sacra, Tom. II,

confidenter, in aeterni Patris manus spiritum traditurum. S. Ambros. l. 10. ep. 79. hoc testamentum Filij est, de Matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hereditas, hic totius finis pietatis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum: consummans omne mysterium bono fine pietatis. Castillo in c. 28. Ex. II. lat. 5.

Nè vultu quidem lædenda est pietas parentum. Pafce patrem tuum, pafce Matrem tuam. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa roleravit; nè quid, quod tibi noxium esset, ederet; nè quid, quod lachri noceret, hauriret: Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem noluit, cibum non accepit; tibi, quem voluit, cibum sumpsit. Tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere patieris? O fili! quantum tibi sumes judicium? si non pascas parentem. S. Ambros. in Luc. 18. Vide tit. Filij §. 5. & 6.

§. II.

Parentibus præferendus Deus, præcepta &c.

Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos &c. - *hi custodierunt eloquium tuum* &c. Deut. 33. 9. Magis, & primò, dicitur hic de patre, & matre; quàm de fratribus, & filijs: quod illos in eade illa idololatrarum

M m

non